

IX.

~~175~~ 279.



Carolis

BCU Cluj / Central University Library Cluj

Plus sime l'emplaine Becklow de l'edition de Rome  
1554 n. de 138  
L'empl. 40. est 7

D

V - Sc. J.  
Di sopra.

BCU Cluj / Central University Library Cluj

IV 466.

190

277232

RHK. 3.1. 368

B M V

Carl

Carolus

BCU Cluj / Central University Library Cluj

IV. 466

BCU Cluj / Central University Library Cluj

DE AFFLI-  
CTIONE, TAM CA-  
PTIVORVM QVAM ETIAM SVB  
Turcae tributo uiuentium Christianorum, cum figuris  
rei clarè exprimentibus. Similiter de Ritu, deq; Ceres  
monijs domi, militiæq; ab ea gente usurpatis. Additis  
nonnullis lectu dignis, linguarum Sclauo-  
nicæ & Turcicæ, cum inter-  
pretatione Latina,  
libellus.

Autore Bartholomæo Gyurgieuits, peregrino Hieroso-  
lymitano, qui per duos menses cathena collo uin-  
ctus, sæpe uendatus, XIII. annos apud  
eosdem seruitutem seruicens, omnia  
experientia uidit & didicit.



Cum gratia & Priuilegio Cæsareo, ad  
bienniū, sub pœna, C. Karol. &  
librorum confiscatione.

AD PIOS LECTORES  
Cor. Scrib. Grapheus.

Vultis Christiadae miserandos cernere casus?  
Fœdasq; ærumnas, horrificasq; cruces?  
Quantaq; sub rabidis (res uera) afflictio Turcis  
Captiuos maneat, hei mihi, Christiadas?  
Hunc legitote auidi rursus hunc legitote libellum,  
Et motu mentis uoluite cuncta pio.  
Dispeream, nisi tum lachrymæ, gemitusq;, grauisq;  
Corde dolor uobis uiscera quassa premant.

Aliud ad Lectorem.

Afflictum à Turcis uis Christum noscere Lector?  
Membra libro hoc Christi dilaniata leges.  
Christiadum ut manibus manicas, funesq; lacertis,  
Et collo iniiciat uincula Turca serox.  
Ut pecudis ritu hos uendat (si forte quis æger  
Occidat, ille feris obuia præda iacet.)  
Ut profugi trabibus nantes mergantur in undis  
Passim: bis captos ut mala dira premant.  
Fiat & ut Christi mystes agitator aselli,  
Lignum uendat, oues pascat, aretq; solum.  
Ut Mahumet. eo iuuenesq;, senesq; tyranno  
Annua dependant lege tributa pari.  
Ut doleat mater coram sua pignora cernens  
Seruitio abduci Rex Solymanne tuo.  
Deniq; tormenta inuenies hoc scripta libello  
Horrida, Christiadum que pia turba luat.





# INVICTISS.

ROM. IMP. SEMPER

AVGVSTO CAROLO QVIN.

to, Bartholomæus Gyurgievits,  
clientum minimus &  
deditissimus.



IT Dido apud Vergilium: Non ignara  
mali, miseris succurrere disco. Est enim  
naturale, eas aliorum calamitates mise-  
ricordia prosequi, quas tu aliquando  
perpeffus es. Ego igitur, invictissime  
& augustissime Cesar, qui Turcicam captiuitatem tre-  
decim annos expertus sum, septies uenditus sum, cui ipsis  
sensibus explorata sunt mala eius uitæ, statui breui libel-  
lo imaginem illarum Tragœdiarum leuiter delineare:  
nam ad plenū exprimere, nulla uis ingenij humani pote-  
rit. Ut qui adhuc liberi sint, intelligant, quantopere illis  
omnibus opibus & uiribus enitendum, ne in hanc mise-  
riam ueniant, & quo in odio esse debeant, qui domesticis  
(ut ita dicam) bellis, tua arma remorantur à Turcica  
expeditione, cum certa spes sit, idq; ex oraculis, quæ non  
minus in Turcia quàm hic iactantur: te illum unicum fu-  
turum, qui regnum illud Satanae destruas, si modò uires  
integras ad id bellum conferre possis. Nam ut in præ-  
sentia omittamus oracula, multæ coniecturæ sunt, quibus

idem quod oracula diuines. Nullus unquam in Christiano  
no orbe à septingentis retro annis potentior Imperator,  
nemo uictorijs plenior, uoluntate pronior in hoc bellum  
fuit, aut milite exercitato instructior, adeò ut in debel-  
landis Turcis ocium tibi tantummodo uideatur deesse,  
quod qui tibi auferunt, quicumq; illi sunt, & quocunq;  
animo hoc faciunt, pessime uidentur de Christiana reli-  
gione mereri. Intra septingentos plus minus annos Tur-  
cica arma inualuerūt, hactenus à nemine retusa, quia ne-  
mo tibi par opibus, fortuna, & uoluntate fuit. Nunc te  
unicum sanctissimis bellis per alia bella eripi, & dolen-  
dum maxime, & detestandum uehementissime. Ego  
igitur tibi istum libellum de Christianorum miserijs de-  
dicandum censui, quem orbis agnoscit unum præ om-  
nibus esse, qui huic calamitati remedium uelit  
apponere, & appositurum breui speramus.

Diu sit incolumis tua Cæsarea Maiestas,  
nec antea uel morbo uel morte ten-  
tetur, quàm Christiana uexilla  
rursus in Asia & Africa  
& ubique terrarum  
erigat. Loua-  
nij Idibus  
Mars.





QUOMODO CHRISTIANI  
in bello à Turcis capti  
distrahantur.



**E**XPEDITIONEM ADVER-  
sus Christianos suscipienti Turcarum  
Imperatori, inter reliquos mercatores  
semper comes est ingens turba mango-  
num & lanistarum, camelis insidens: hi  
in spem mancipioꝝ longissimas catenas secum deserunt,  
in quibus facile quinquageni aut sexageni per seriem col-

## DE AFFLICT. CHRIS-

• *ligantur. iidem quoscunq; non absunit hostilis gladius, à prædatoribus emunt, quod illis ea lege permissum est: si principi decimas mancipiorum præstent, reliquos ipsis uel in suum usum, uel ad uindicationem detinere fas est, nec ulla apud illos uberior aut frequentior mercatura: ut & olim apud Romanos fuit, qui merces nullo uitio emptas, & in quibus euctio timeri non debuit, res mancipi appellabant.*

QUIBUS REBUS TURCARUM  
Imperator suos captiuos destinet.

**S**enes, & utriusq; sexus iuuentutem, quæ illi decimarum nomine obtigit, ita discernit, ut grandiorè ætatem ad agriculturam uendat, qui tamen rarissime capiuntur: raro enim eis parcunt, quos ætas multorum annorum parum uendibiles fecit. Puellas uero & iuuenes ad certum locum relegant, qui ipsorum lingua Sarai uocatur, ut ibi certis artibus instruantur, quò illis in posterum commodius utatur, ac primum id agitur, ut abnegata Christiana fide, circumcidantur. Iamq; eorum ceremonijs initiati, diligenter pensitatis per Physiognomiam linamentis corporis, pro cuiusq; indole, uel ad leges eius gentis discendas, uel ad militiam destinantur, si maior uis corporis quàm ingenij appareat: danturq; in stipendium quotidianum duo uel tres Ahtse, id ad cibarium & uestiarium sufficere arbitrantur, donec in expeditionem sit abundantum. Rudimentis militiæ ita induuntur, priò

num pro teneritudine uirium datur leuior arcus, mox crescente robore, & peritia, grauior ac grauior, donec bello sit idoneus. Adest magister seuerissimus exactor quotidiani exercitij, quotiescunq; a scopis errant, toties flagris cæduntur, atq; isti ascribuntur ordini Solaclar, id est, sagittariorum. Alij in hoc erudiuntur, ut Ienizaris cooptentur: isti quoque suos præceptores habent, qui illos ad quotidianam batuationem cogunt, bini inter se baculis decertant. Reliqui proh nefas, in quibus maior gratia formæ, ita absconduntur ut nihil uirile in toto corpore appareat, grauisimo cum discrimine uitæ: quod si euadant, non in aliud sunt incolumes quàm in obsequium sceleratissimæ libidinis, mox senescente pulchritudine, ad officia eunuchorū, ut matronas seruent deputantur, aut custodiendis equis & mulis, aut culinæ ministerijs addiscuntur.

QVOMODO AGATUR CVM  
puellis, & reliquis mulieribus.

**Q**uæ luculentæ pulchritudinis sunt, eliguntur in concubinas: mediocres dantur matronis ad officia pedissequarum, inter quæ adeò sunt nonnulla scæda ministeria, ut honestè dici non queant: coguntur enim illas sequi cum uasculo aquæ, quando ad exonerandum aluum, & perpurgandum eas partes egrediuntur. Aliæ ancillaribus operibus, ut textrine, pistrinæ mancipiantur. Nullis ex omnibus liberum est uel Christianam fidem reseruare, aut spem libertatis quàm diu uiuit, concipere.

DE AFFLICT. CHRIS-  
TOMODO RELIQVI  
Turcæ cum manci-  
pijs agant.

**H**Aftenus quid Imperator Turcarum agat, diximus: nunc quid priuati isti, cum primum nouitios adepti sunt, omnibus minis, promissis, blāditijs agūt, ut recens mancipium circumcisionem admittat: id ubi fecerit, humanius aliquanto tractatur, ceterum spes redeundi in patriam planè abscissa est: conanti enim id pœna incendij destinata est. Hij quia firmiores creduntur, ac minus fugaces, à dominis ad ministeria castrensia assumuntur, libertas tum demum competit, ubi uel ipse annis inutilis potius reijcitur à domino quàm dimittitur, uel ubi dominus in bello inter pericula mortis libertatem legarit. Matrimonia illis quidem permissa sunt, sed liberi eorum pro arbitrio domini distrabuntur, quæ res sapientiores à nuptijs abhorreere facit. Alios qui circumcisionem repudiant, immaniter tractant: quam miseriam per tredecim annos expertus sum, nec ullis uerbis conscribere possim, quid sit calamitatis in hoc genere uitæ.

QUOMODO AGITVR CVM  
Christianis artium Mecha-  
nicarum ignaris.

**D**urissima illorum sors est, qui artes mechanicas nō didicere: eæ enim solæ ibi in honore ac precio sunt, quam obrem literati, sacerdotes, nobiles homines, qui in ocio uitam degerunt, ubi in horum manus uenire,



omnium miserrime habentur. Mango enim in illos, utpote uix uendibiles, nullos sumptus facere sustinet, hij pedibus capitibusq; intectis, ac plerunq; maiore parte corporis nudi inambulant: nullus enim nouus cultus detritis ueteribus uestimentis succedit, per niues, per saxa, aestates & hyemes detrahuntur, nec finis donec uel moriantur, uel stultum dominum, qui malam mercedem emat, inueniant, talis enim illorum est iudicatio. Ceterum nemo omnium tam est felix, cuiuscunq; uel conditionis, uel etatis, uel artis, uel formæ, ut eum in itinere egrotantem apud hospitem deponant. Primum cogitur flagris ire, id si non potest, iumento imponitur, ibidemq; si sedere nequeat, prono corpore alligatur, non aliter quam sarcina aliqua, aut mantica: morientem detractis uestibus in proximam foueam aut uallem canibus & uulturibus abijciunt.

#### QVOMODO RECENTER

capti in itinere tractentur.

**N**on solum perpetuæ cathenæ concaptiuos includunt, sed manibus quoque in itinere manicas addunt: passus unus inter singulos interstitij est, ne se mutuo conculecent: id ideo faciunt, ne à mancipijs lapidentur. Quum enim singuli mangones ingentem numerum ducant, adeo ut decem sepe quingentos homines concatenatos habeant, uim metuunt tantæ multitudinis, si ad iactum liberat manus haberent. Ceterum ubi nocti concedendum, uinculis quoque pedes onerant, eosq; supinos omni



iniurie aëris exponunt. Mulieribus uero humanior con-  
 ditio est, quæ ualent robore, pedibus incedunt: tenerio-  
 res in iumentis uectantur: quæ adeo infirmæ sunt, ut ia-  
 ctationem iumentis non ferant, in corribus tanquam an-  
 seres gestantur. Nox illis tristior est, aut enim munitis  
 locis includuntur, aut mangonũ impuram libidinem patĩ  
 coguntur, auditurq; ingens ploratus per tenebras adule-  
 scentium utriusq; sexus uim patientium, nec sexennis aut  
 septennis ætas miseros à tali sceditate defendit, adeo scele-  
 rata gens & cõtra naturã & ante naturã libidine seuit.



STIANORVM IN TVRC.  
QVOMODO VENALITII  
tractentur.

**V**bi dies illuxit, in forum uenales tanquam greges  
ouium, aut caprarum producuntur. Conueniunt  
mercatores, statuitur precium: si placet mancipium, de-  
tractis uestibus futuri domini oculis exponitur, inspiciuntur  
omnia membra, tentantur, explorantur, nunquid uiti-  
ij in iuncturis aut articulis resideat. Si displicet, reijci-  
tur ad mangonem, toties id passurus, quoties empturiens  
aliquis aduenerit: si placet, abducitur ad grauem serui-  
tutem, ut uel arator, uel pastor sit, ne duriora comme-  
morem. Multa sunt ibi inaudita exempla miserie. Ce-  
terum homines iugo copulatos aratrum ducere nunquam  
uidi. Ancillae artiffime habentur in perpetuis labori-  
bus & extra conspectum uiuorum, & ne cum conseruis  
quidem illis ulla confabulatio permittitur. Si quis cum  
uxore & liberis captus fuerit, hunc libentissime magna-  
tes emunt, & uillis praeficitur, ut curam uel aruorū, uel  
uinetorum, uel pascuorum agat, nati ex illis uerne fiunt.  
Si in Christiana fide perseuerauerint, statuitur certum  
tempus seruiendi, quo elapso liberi fiunt: filij tamen eorū  
nisi redimantur, in seruitute manēt, pro domini arbitrio,  
uel in iisdem sedibus mansuri, uel alio transferendi: nulli  
enim ibi sunt asscriptitij glebae, quibus certa sit sedes ser-  
uitutis. Si cupiunt post adeptam libertatem in patriam  
redire, dantur diplomata commeatus. Verum illis qui  
postquam religionem abiurarunt, nec certum tempus est

DE AFFLICT. CHRI-

seruiendi, nec ullum ius in patriam redeundi, spes libertatis solummodo pendet à domini arbitrio, ubi tamen libertatem nacti fuerint, soluunt decimas ut ceteri Turcae, à reliquis tamen oneribus, quibus Christiani premuntur, innumes sunt.



DE ILLIS CAPTIVIS QUOS  
pastores faciunt.

**D**Vra uita agricolarum, durius tamen agunt qui ad pastoritias euras emuntur, uiuendum illis in solitudine, perpetuò noctes & dies sub dio agendum: doo

minus cum uxore solus in tentorio uersatur, & præter  
 tuendi gregis officia, penulas & tapetia subcisiuis horis  
 facere coguntur. Singulis mensibus pascea mutant, de  
 montibus in montes se transferentes. Qui humaniores  
 sunt, dant aliquam mercedulam seruis, qualem dimensum  
 fuisse apud Romanos legimus, id in peculium cedit, quod  
 conseruant uel in uiaticum, si in patriam post libertatem  
 adeptam redire uelint, uel ad alias necessitates uitæ. Ce-  
 terum id non ubique fit, est autem illud miserum blandi-  
 mentum seruitutis, quo illos à consilio fugæ retrahunt.  
 Illis autem qui Christū abnegarunt, iamq; recutiti sunt,  
 quia certi sunt, quòd non fugient, nihil tale indulgetur.

## DE FUGA CAPTIVORVM

## ex Europa.

**F**acilior fuga illis, qui in Europa agunt, quàm qui in  
 transmarinas regiones uenduntur: his enim præter  
 flumina nihil traiciendū, quæ facile enantur. maior diffi-  
 cultas in Hellesponto transmittendo. Qui autem fugam  
 instituunt, tempore messis id soliti sunt facere, ut & fa-  
 cilis in segetibus lateant, & inde uictum habeant, noctis  
 autem fuga initur, per diem aut in syluis, aut in paludi-  
 bus, aut in segetibus sese abdunt, maluntq; à lupis alijsq;  
 bestijs deuorari, quàm ad ueteres dominos retrahi.

## DE FUGA EX ASIA

## minore.

**Q**ui ex Asia fugam moliuntur, Hellespontum pe-  
 tunt, inter Gallipolim & arces illas olim Scio



ston & Abidon nunc autem Bogazassar dicitur, id inter-  
 pretari potest, castella faucium maris, ibi enim mare an-  
 gustissimum est. Hi secum deferunt securim & funes, ut  
 & ligna cadant & colligant, quò inde ratem faciant ad  
 traiectionem maris, nihil nisi salem secum deferentes,  
 nocte raticulam inscendunt. Si uenti & fortuna maris fa-  
 uet, tribus aut quator horis traieciunt, sin minus, aut pe-  
 reunt in fluctibus, aut ad littora Asiæ reieciuntur. Emen-  
 so mari montes petunt, polumq; & booten inspectantes  
 ad Boream tendunt. In fame herbis suis sale conditis sese



## STIANORVM IN TVRC.

*fastinent. Si plures societatem fugæ inierint, noctu opilio-  
 nes inuadunt, quibus occisis, quicquid ibi alimenti in-  
 uenerint, secum asportant, sæpe tamen & ipsi pereunt  
 occisi ab opilionibus, uel ab eisdem capti, & pristino he-  
 ro traditi, ad ueterem seruitutem rediguntur. Ceterum  
 longè plures pericula absument, quàm incolumes eua-  
 dunt: aut enim naufragijs, aut dentibus bestiarum, aut  
 ferro inimicorum, aut postremo fame pereunt, cum lon-  
 gior erratio in fuga contigerit.*

## DE POENA FUGITIVORVM.



## DE AFFLICT. CHRI-

**F**ugitiuis multiplex pœna: alij enim suspensi pedibus dirissime flagellantur, qui enim homicidium cõmittunt, illis planta pedũ in multos sulcos cultro rescinduntur, & rescisis sal inspergitur: quibusdam furca ingens ferrea, cum ferro collari inseritur, quam dies noctesq; in longum tempus gestant.

DE GRÆCORVM ET  
Armeniorum pietate erga captiuos.

**M**ortis pœna & confiscatio omnium bonorum illis infligitur, qui captiuorum fugam instituunt. Tamen non cessant Armeni & Græci captiuos Christianos apud se occultare, & deformatos suo cultu deducere ad naues Venetas, uel aliorum Christianorum, dantq; uiaticum & omnia necessaria, nec ullum pietatis genus omittunt: eandem enim pietatem nostrorũ aiunt se experiri, si quando Romam uel Compostellam uenerint.

DE INCANTATIONE TUR-  
carum contra fugientes.

**H**abent quoddam genus incantationis, quo inuitos retrahunt. Nomen serui in schedula scriptum suspenditur in tabernaculo uel domicilio serui, deinde diuisis uerbis & deuotionibus illius caput impetunt, deinde fit ui demoniaca, ut fugiens putet sibi in itinere uel leones uel dracones incurrere, uel mare uel flumina contra se exundare, uel omnia tenebris nigrescere, ipsq; terrisculis repulsus ad herum redit.



STIANORVM IN TVRC.  
MEMORIAM CHRISTI PAV-  
latim in prouincijs olim Chri-  
stianis aboleri.

**S**Uppersunt adhuc aliqui, qui meminere expugnatio-  
nem Constantinopolis, & regna Græciæ, Albanie,  
VValachie, Seruie quã Bosnam uocant Turcæ, in pro-  
uincias redacta, illi quidem Christũ tenaciter retinent,  
sed iuuentus dediscit, breuiq; futurum ut plena sit obli-  
uio Christianitatis. Idem futurum in Croatia, Hungaria,  
Sclauonia, quæ recentia additamenta sunt & auctaria  
Turcici imperij.

QVÆ CONDITIO DE-  
bellatorum.

**V**BI prouinciam cepit, omnia prouincialium bona  
tam mobilia quàm immobilia in prædam cedunt.  
Nobilitatem stirpitus excindit, præcipue regiam sobo-  
lem. Et quòd nunc Vaiuodæ filium apud se retinent, nõ  
alio consilio faciunt, quàm si illis Hungaria adimatur,  
eum immittant ad res nouas moliendas: ubi illis secura  
possessio Hungariæ fuerit, haud dubie è uita tolletur,  
nam Turcæ in ea re nec generis, nec soceris, imò ne fra-  
tribus quidem parcunt. Clericos si non occidunt, omni  
fortuna & dignitate nudatos ad ludibrium & mendici-  
tatem relinquunt. Campanas omnes & organa, & alia  
instrumentsa Musica templis adimunt, imò ipsa templa  
prophanata suo Mehemmeto consecrant. Misera & hu-  
millima sacella Christianis relinquunt, ubi sacra non pu-

blicè sed dissimulanter & silentiose faciant, quæ ubi uel terræmotu corruerint, uel incendio deflagauerint, uel ætate computruerint, non licitum est instaurare, nisi magna pecunia depensa. Concio & annunciandi Euangeliij munus planè interdicitur, nec fas est quenquã Christianum Remp. attingere, aut arma gestare, aut simili cultu cum Turcis indui, aut quæ hilarioris uitæ sunt, spectacula edere, uel choreas ducere. Si iniuria sit contumeliosissimis uerbis uel tibi, uel Christo, tacendum atq; ferendum est. Quòd si aliquid indignius contrà loquaris de eorum religione, inuitus circuncideris: tum si hisce contra Mehemmetum, ignes & incendia tibi parantur.

DE REVERENTIA QUAM  
exhibent Christiani Turcis.

**C**hristianus sic eques prætereat Musulmanum, id est, Turcarum religione initiatum, necessum est, ut de equo descendat, & cernuo uultu sedentem adoret: quod nisi fit, suffibus ab equo deijcitur. Ius præterea est ueredarijs & emissarijs Turcarum, equum Christianum arripere, eoq; ad delassationem uti, interim Christianus pedes sequitur.

DE TRIBVTIS CHRI-  
stianorum.

**Q**uartas omnium fructuum dant Christiani: istiusmodiq; quartatio non solum ex prouentibus agrorum & pecorum colligitur, sed etiam mechanici de suo quæstu quartas dependunt. Deinde est & aliud onus



capitatione, quæ singuli quotquot sunt in una familia, singulos ducatos soluunt. Si parentes soluere nequeunt, ad liberos suos in seruitutem uendendos compelluntur. Alij in catenis uincti, ostiatim obambulant ad stipem emendicandū, quod si ne ita quidem soluendo fiūt, perpetuis carceribus mancipantur. Iam cum omnia officia præstiterint, adhuc semper ius est Turcæ optimū quemq; ex liberis deligere, quem circumcisum summotumq; à conspectu parentum in militiam alit, nec unquam ad parentes redit: & primum, quia puer facile Christū obliuione

DE AFFLICT. CHRI-

dediscit, mox etiam parentes & consanguineos, adeo ut etiam si præsens inter eos uersetur, neminem suorum agnoscat. Nemo uerbis efferre potest, quibus lachrymis, gemitu, singultibus istiusmodi diuulsio fiat. Filius abstractus perpetuo inter alienissimos uicturus, quicquid charum est sanguine, sodalitate gratum, familiaritate amicis relicturus, postmodum in eorum numero futurus, quos Græci ἀπ' ἀτρίδας & ἀπὸ τριτάτου uocant. Pater filium quem in cultum Christi educauerat, rapti uidet ad militiam Sathane, ut Christum oppugnet.





STIANORVM IN TVRC.  
DE SACERDOTVM ET MO-  
nachorum sub Turcæ tributo  
uiuientium conditione.

**S**acerdos, monachus pessima illic conditione sunt, ut sacrilegia & scandala Dei & hominum existimantur, nihil de ecclesia accipiunt: Feriatis diebus pauxillum panis à mulierculis nonnullis porrigitur, cæteris diebus nihil datur. Ipsi lignationibus uiuunt: nam mos est, ut ligna in syluis cædant, ijsq; dorsum aselli onerant, ea cum merce per omnes plateas ambulant, ligna uenalia proclamantes. Si gentes illæ hanc calamitatem præsciuisent, millies præoptassent mori, quàm ista pati. Si usquam mors cum uita cõmixta est, inò si usquam uita diu superest ut diu moriaris, id in Turcia est. Nihil Aegyptiaca seruitus, Babylonicum exilium, Assyriaca captiuitas, Romanorum euastatio ad istas miseras, ubi quotidie audiuntur threni Ieremiæ, nec uerbis, sed rebus constât.

PROCLAMATIO CAPTI-  
uorum & tributariorum, ad Chri-  
stianorum Reges &  
Principes.

**M**iseri qui quasi in fornace illa ardenti Hur Chalæorum uiuunt, uotis & gemitibus cælum petunt: Usque quo dormis domine, exurge & ne repellas in finem. Rursus à cælo ad patriam oculos reiectant, quam & ipsam in seruitute uident, relegati tamen à pa-

tria, in patria seruitutem agere cupiunt. Vota illorum non libertatem, sed eandem seruitutem mutatis tantum sedibus concipiunt, mox oculos ad Christianorum Reges & principes detorquent: Optant Papam patrem patriæ uires suæ sanctitatis ad liberationem filiorum conuertere. Optant inuictam Cæsaris manū uictricia arma contra Turcam mouere. Sciunt illi parere Hispanos in bello accerrimos, Belgas ferocissimos, Germanos fortissimos, Italos corpore & ingenio præstantissimos. Sciunt illi adiectissimum esse fratrem Ferdinandum regem Romanorum Turcarum bellis assuetissimū, Illyricis & Subalpinis gentibus subnixum. Sciunt Germaniam omnem, tot Electores imperij regijs uiribus instructos auspiciū Cæsaris libenter sequi. Hic putant uota sua non frustrari. Te suum Esdram Cæsar inuictissime, te suum Iosue existimant futurum. Talia enim non solum de te oracula inter Christianos, sed etiam inter ethnicos circumferuntur. Utinam tua te bella illuc suerent penetrare, uideres omnia tecum ad arma cooriri: Nulla ætas, nullus sexus, nullus ordo hominum tua arma relinqueret. Domi quisq; Turcarum in suis seruis percussorem haberet, in castris proditorem, in pugna desertorem. Omnino Christiani qui illic sunt, contemptissime de armis Turcarum sentiunt, ut quos ad uelitarem tantum pugnam idoneos cognoscunt. Hostes uelut aues procul missilibus impetunt: si non eo terrore fuga sit, ipsi fugiunt. Præter clypeos & galeas pleriq; nudi sunt: ad manum uenire non audent.



Vulnera stantibus nō ingerunt, nisi e minus. Quòd si iam Veneti et Lusitani nauales suas copias conferant, Angli, Poloni, cæteriq; principes militem subministrent, præsertim tali Cesare rerum gubernacula tenente, non diutius obsisteret Solymannus Carolo, quàm Darius Alexandro, Xerxes Themistocli, Antiochus Iudæ Machabæo. Ita sentiunt omnes captiui Christiani. Idem ego tredecim annorū experientia didici, in fugientem scilicet Turcam fortissimum, aduersus inuadentem fugacissimum esse. Turca igitur cum natura sit fugitiuus, oppugnandus est. Impius enim nemine persequente fugit. Exurgat Deus & dissipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum à facie eius, sicut deficit fumus deficiant, sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei. Utinam Deus Opt. Max. concedat, ut tuis auspicijs inuictissime Caesar, monstrum illud Turcicum, humane nature ludibrium supprimatur ac conteratur, ut Christianos grauissima tyrannide oppressos in libertatem asseras, quandoquidem post

Deum in te uno omnis

spes libertatis

collocata

est.

FINIS.

Laus Deo.

DIALOGVS SALVTATIONVM,  
Interrogationum, ac responsio-  
num Linguae Sclauon̄.

Salut. Pomozǐ bogh gospodaru.

*Adiuuet deus patrone.*

Resp. Dobro došao prijateliu.

*Bene uenisti amice*

Inter. Ieli ouay prauǐ puth v Kalipolie?

*Estne hæc recta uia in Calipolim?*

Resp. Ni brate zabludiošǐ daleko.

*Non frater deuiasti longe.*

Inter. Od koišǐ zemlie kazuimi.

*Ex qua es regione indicami.*

Resp. Od Vlaške zemliesšam od Benetak.

*Ex Italorum regione sum ex Ventia.*

Inter. Vkašǐ mi puth prauǐ takotǐ boga.

*Ostende mi iter rectum propter deum.*

Resp. Hodi ššamnom nebošše nistar.

*Veni mecum ne timeas quicquã.*

Inter. Ieda koišǐ glasse imas kazuimi.

*Si quid noui habes indicami.*

Resp. Ne takomi vire da znam pouidalbǐh tǐ.

*Non ad meam fidem si scirem indicarem tibi.*

VALEDICTIO ET GRA-  
tiarum actio eorum.

Oštai zbogom brate onie grad kamo grez

*Mane cum Deo frater illa est ciuitas quo pergis*

Resp. poi zbogom i bogh te zdrauo noššo.

*i cum deo et deus te incolumen ferat.*

Hualu ti imam i dobrati nots bila.

*Gratiã tibi habeo et fausta tibi nox sit*

## VOCABVLA SCLAVONICA.

Cœlestia. vol bos

Bogh Deus kony equus

nebo coelum outza ouis

fsuntze sol vuk lupus

millez luna pass canis

suintloft lumen Fructuum.

zuizda stella stablo arbor

dan dies stad fructus

nors nox vinograd uineta

tamnost tenebrae grozdie uue

vedro serenum iabuka pomunt

lito aestas hruska pirum

zima hyems smokua ficus

Terrena. orah nux

Clouik homo daymi ysti da mi come

sena mulier piti bibere (dere

zemlya terra donessi ouamo porta

kamen lapis neka stoi maneat (huc

driuo lignum vstai gori surge

voda aqua sledi doli sede

vino uinum hodi vred ueni cito

psenicza triticum tsiekai malo expecta

kruh panis Noia uestimentoꝝ.

hleb etiam panis suknia tunica

messo carnes kossulya camisia

sir caseus klobuk bereta

mleko lac pass cinctura

masslo butyrum postoli calciamenta.

DOMINICA ORATIO  
Sclauon. Ling.

**O**Tesse nafs, ki yessi na nebeffi, fluetisse  
*Pater noster qui es in caelis sanctificetur*  
ime tuoie. Pridi kralyeustuo tuoie, budi  
*nomen tuum. Adueniat regnum tuum, fiat*  
volfa tuoia, kako na nebu i na zemlj.  
*uoluntas tua, sicut in caelo & in terra.*  
Kruha nasslega flagdaniega dai namga da  
*Panem nostrum quotidianum da nobis ho-*  
nafs, i odpuscianam dughe nasse, kako i mi  
*die, & dimitte nobis debita nostra, sicut & nos*  
odpusciamo dusnikō nassim, i nepeljai nats  
*dimittimus debitoribus nostris & ne inducas nos*  
v napast, da izbauj nats od nepriazni, Amen.  
*in temptationē, sed libera nos a malo, Amen.*

BCU Cluj / Central University Library Cluj

SALVTATIO ANGELICA.

**Z**Draua Mario milosti puna, gospo-  
*Aue Maria gratia plena, domi-*  
din stobom, blasena ti meu senami, i bla-  
*nus tecum benedicta tu in mulieribus & benedi-*  
sen tsad vtrobe tuoye Iesus Kristus, sueta  
*etus fructus uentris tui Iesus Christus, Sancta*  
diuo Mario, maiko bosya, moli zanats gri-  
*uirgo Maria, mater dei, ora pro nobis pecca-*  
sniche, tsada, i v vrime smerti nasse, Amen.  
*toribus nunc & in hora mortis nostrae, Amen.*



**V**iruyu Bozi votczu semoghuciem,  
 Credo in Deum patrem omnipotentem,  
 ftuoriteliu neba i zemlic, i vf Iesussa Kri-  
 creatorem caeli & terra, & in Iesum Chri-  
 stussa tšina nyegoua, iedinoga gotspodina  
 ftum filium eius unicum dominum  
 nassega, ki seye pocsel od duha sueta, poro-  
 nostrum, qui est conceptus de spiritu sancto, na-  
 dil seye od Marie diue, mutsen pod Pont-  
 tus est ex Maria uirgine, passus sub Pon-  
 ziußem Pilatußem, ratzpet vmerl i poko-  
 tio Pilato, crucifixus mortuus & sepul-  
 pan iest, stupi na pakal, treti dan izmar-  
 tus est, descendit ad inferos, tertia die a mor-  
 truih vstal, zastupi na nebesa tñidi na des-  
 tuis resurrexit, ascendit ad caelos sedet ad dex-  
 nicze otza Boga vtemoguciega, od onud  
 tram patris Dei omnipotentis, inde  
 priducsi iest pitati, siue i martue,  
 uenturus est iudicare, uiuos & mortuos.  
 Viruyu vsuetom duhu, suetu cerkaf  
 Credo in sanctum spiritum, sanctam ecclesiam  
 kerściantku tsuetczef optšinu, grihom  
 catholicam sanctorum cõunionem, peccatorũ  
 odpustyenye, tilu vzkertsenye i viko-  
 remissionem, corporum resurrectionem & eter-  
 uisni sirtch, Amen.  
 Nam uitam, Amen.

Iedan, unus ossam, octo sestdesset, sexaginta.  
 dua, duo deuet, nouem ssedamdesst. sept.  
 tri, tres desset, decem ossamdesst. octuag.  
 tsetiri, quat. duadesset, uigi. deuetdesset, nona  
 peth, quinq; tridesset, trig. Sto, centum.  
 sstest, sex tseterdesst. quad. tisucia, mille.  
 ssedam, sept. pethdesst. quinq.

PEREGRINVS  
 Lectori. S.

**V**isum est nobis humanis. lector, nonnulla uocabu-  
 la Sclauonicæ lingue addere, ut scias quàm diffe-  
 rat Sclauonica à Persarum lingua, qua Turcæ utuntur.  
 Scias etiam, quòd omnibus hac lingua peritis tutò adire  
 licet Croatiam, Dalmatiam, Russiam, Valachiam, Ser-  
 uiam, Bohemiam, & Poloniam, quamuis propter pro-  
 uinciarum distantiam in quibusdam uocabulis ac prola-  
 tione nonnihil differant, ut Itali ab Hispanis, Germani à  
 Flandris. Nec te lateat, Ruthenos ac Seruios eadem lin-  
 gua, uti in officijs diuinis. Habent enim xxxiiij. literas  
 Græcis non multum dissimiles. Sic etiam Croaci: sed ho-  
 rum literæ plurimum ab illis differunt forma, numero  
 tamen & prolatione similes sunt. Et ideo impossibile  
 est nobis latinis characteribus, ipsorum uocabulorum  
 neram prolationem imitari. Turcæ quoq; eadem lingua  
 in aula eorum Regis, & in confinijs Sclauoniæ  
 uersantes, utuntur. Vale.



scalci Carmen commen-  
datitium.

**Q**uod uarios homines uarias quod uiderit urbels  
 Neritij nomen notaq; fama ducis.  
 Raptus at à Turcis in uincula Bartholomeus,  
 Neritio errauit per loca plura duce,  
 Hic Asianorum, atq; Arabum distractus in oras,  
 Quæ tulit est testis dura πεινικæ comes.  
 Ille Ithacen inter iactatus, & Ilion inter,  
 Clarior ingenio est factus Homere tuo.  
 Hic maris & terræ discrimina maxima sensit,  
 Ille sed expertus sola pericla maris.  
 Hunc Mehemetæus prensans canis ore minaci,  
 Esse canem uoluit, noluit esse canis.  
 Illius at socijs in monstra latrantia uersis,  
 Circæis philtris forma canina manet.  
 Ut Plato barbatus lustrarit plurima docto  
 Hungare lustrasti plura Platone sagax.  
 Multa sane referunt Egnatius atq; Philelphus,  
 Multaq; cum Iouio Cuspiniane refers.  
 Turcarum at cultum, & mores sic pingis, ut illi  
 Nil referant scripta ad Bartholomæe tua.  
 Addis & istorum linguas nec grammata omittis,  
 Quæ doctos fallunt hac regione uiros.

CARMEN COM.

*Impia Turearum dum lustras regna, reuersus  
Europam hic tandem numine Chrifte tuo.  
Sed Pallas, malus, cera, à Syrenibus illum  
Iuuit, & auspicibus flatibus acta ratis.  
Quid multa? hic dignus quem laudet Musa Maronis,  
Meonij uatis dignus & ore canis.*

DE TURCARUM RITV, DEQVE CAEREMONIIS, LIBER SE- cundus: Et primò de Ori- gine eorum Cap. primum.



ISTORIAE Armeniorum tradunt Turcas gentem Scythicam esse ZMA- ILDAN, quasi Ismaeliticam, & quòd essent adducti per Caspios montes, ac Caucasas portas, usq; Constantinopo- lim à Duce cuiusdam Regis Armeniae, ob proditionem, atq; iniuriam eius militibus illatam. Non torqueo me eorum origine uerbosius, duntaxat ob oculos ponam con- suetudinē in Caeremonijs, et disciplinā domi, militiēq; ab ea gente, usurpatā, nihilq; mutuabor ab alijs scriptorib. sed summa fide, quòd coram uidi, et longo usu didici, pro ingenij mei tenuitate summissē & modeste describam.

DE ORIGINE ME- hemmeti.

Magna dubitatio de origine Mehemmeti (quem nostri Mahometum uocant) nec dum satis com- perta, utrum Persa an Arabs fuerit: Veriores tamen illi habentur, qui eum Ismaelitem esse aiunt, ex Regum stirpe, quos OTHMANNI SAI, & SVLTANLAR

uoceant. In huius natiuitate referunt, quinq; milia templorum Idolorū cecidisse, quod augurium uel nostras clades presagijt, uel de nostris cladibus fictum est,

## DE TEMPLIS Illorum.

**H**Abēt templa satis ampla, et sumptuosa, ipsorū lingua MESCHIT appellata, in quibus nullas prorsus imagines uidi, præter hæc uerba inscripta Arabica lingua uidelicet, LA ILLAH ILELLAH MEHEMMET IRESVL ALLAH TANRE BIR PEGAMBER HACH: id est, non est Deus nisi unus, Mehemmet autem propheta eius, Creator unus, & prophete æquales. Vel hæc, FILA GALIB ILELLAH, id est, non est fortis sicut Deus. Deinde conspicitur magna abundantia lampadum ardentium oleo, totum templum dealbatum, pauimentum stercis stratum, ac desuper tapetis ornatum. Circa templum turris miræ altitudinis, quam eorum sacerdos tempore orationis ascendens, uoce alta, digitis in aures insertis, hæc uerba ter repetit ALLAH HECHBER, id est, Deus uerus unus. Audito clamore conueniunt in templum nobiles & ociosi, tantum deuotioni astricti. Deinde prædictus Sacerdos descendens orat cum illis, idq; ex officio facere debet quinquies inter diem & noctem. Quicumq; uero ueniunt ad orationem, debent ablucere manus, pedes, & pudibunda, postremo ter spargunt aquam super capita, recitando hæc uerba, ELHEMDV LILLAHI, id est, gloria Deo meo. Deins



de, exutis calciamentis PATSMAGH dictis, eisq;  
ante ianuā templi relictis introeunt, alij nudis pedibus,  
alij habentes munda calciamenta MESTH uocata, qui-  
bus non palpant terram. Foeminae nunquam congregiuntur  
cum uiris, sed seorsum certo in loco, prorsus abstruso,  
& uirorum conspectu, & auditu: ipseq; rarius templum  
frequentant, ut tempore Paschatis, nonnunquam diebus  
ueneris, quae GSVMAAGVN eorum lingua uocatur,  
orantq; ab hora nona noctis usq; duodecimam, utputa  
mediam noctem: atq; inter orandū corpus continuo agi-  
tatu, & uociferationibus mire affligunt, ut saepius uiri-  
bus & animo defectae, in terram prone concidant, & si  
aliqua ab eo tempore se grauidam senserit, Spiritus san-  
cti gratia impregnata esse affirmant. Cumq; pariunt,  
ab ipsis nati NĒFCS OGLV, id est, Anima, uel Spiritus  
sancti filij appellantur. Ita mihi narratum est à pe-  
dissequis earum, nam nec ipse uidi, nec aliquis uirorum  
huic spectaculo interesse potest. Virorum autem oratio-  
nibus (cum hero meo) saepe interfui, quibus mos hic est.  
Inter orandum pileos suos (qui TSALMA illorum lin-  
gua uocantur) non deponunt, sed summis digitis attin-  
gunt, quasi eleuaturi, genibus incumbunt, & terram sae-  
pe deosculantur. Christianum eorum sacris interesse ne-  
pharium putant, credunt enim ab hominibus (ut ipsi  
aiunt) illotis, sua templa contaminari, quippe Christiani  
non usurpant illorum more frequentia lauacra. Ibi sa-  
cerdos illorum suggestum ascendit, ac ad duas circiter

## DE TVRCARVM

hoyas concionatur. peracto sermone ascendūt duo pueri,  
 qui cantando suas preces pronunciant, peracto eorum  
 cantu, incipit sacerdos cum toto populo submissa uoce  
 cantare, quassando corpus in latus nihil aliud præter hæc  
 uerba, LA ILLAH ILELLAH, id est, non est nisi unus  
 Deus, sic media fere hora personat, ac mouetur. Huius-  
 modi autem orationes, & ceremonie, ut cantus, prædi-  
 catio, non fiunt singulis diebus, nisi tempore Quadrage-  
 simali, & festiuo, utputa die Iouis, ab hora nona noctis,  
 usq; duodecimam. Et ipsa dies Veneris, (qua MEHEM-  
 METVM aiunt natū fuisse) à quibusdam religiosissime  
 colitur. DE QVADRAGESIMA

## eorum.

**H**Abent etiam Quadragesimam sua lingua OR-  
 VTZ appellatam, ieiunantes unum mensem, &  
 unam hebdomadā singulis annis, at non semper eundem,  
 sed si (uidelicet hoc anno) ieiunauerint Ianuariam, se-  
 quenti Februariam, pergentes serie, ita ut duodecim an-  
 norum decursu, unum & duodecim hebdomadas loco de-  
 cimæ offerant Deo. Cum ieiunant, toto die nihil gustant,  
 ne panem quidem, aut aquā. Deinde uisa stella, licet illis  
 omnia manducare, præter suffocatū, & porcinas carnes.  
 Suffocatum ab eis, MVRDAR, id est, cadauer siue im-  
 mundum, & porcus DOMVZ uocatur. Quadragesima  
 peracta, Pascha celebrant, eorum lingua BAIRAM uo-  
 catum, magna cum solemnitate per triduum, oblinentes  
 ungues manū & pedum certo ceromate ab eis CHNA

appellato, quod ungues rutilos efficit: eadem quoque tinctura caudas equorum & pedes imbuunt, hic color tenacissime haeret, nec abluui, aut extergi potest, quanobrem nisi noui (à radicibus) ungues exierint, alioquin ungues semper rutilantes apparent, sed de manibus frequenti lotionem potest deleri. Mulieres non solum ungues, sed & manus, atque pedes illo ceromate imbuunt.

DE EORVM CIRCVCN-  
cisione.

**V**Tuntur circuncisione eorum lingua TSVNETH dicta, non octaua die, more Iudeorum, sed quamprimum natus septimum aut octauum annum exegerit, sermone iam peritus: idque ipsis mysterium est, propter uerba confessionis, quae ante circuncisionem requiruntur, erecto pollice manus PARMACH dicto, haec uidelicet, quae supra ostendimus in templis descripta. Puer ob id non defertur in templum, sed in domibus parentum circunciditur. Huic sollemnitati saepe interfui, quae ita se habet. Primo conuocatis amicis ad conuiuium, quibus satis delicata parantur sercula, ex omni genere carniū, quo ipsis uesci licet, et passim (ut apud ditiores) bos caeditur, in hunc excoriatum & exenteratum includunt ouem, in qua gallinam, & in illa ouum, quae integrè assantur ad splendorē illius diei. Deinde inter epulas tempusque coenae adducitur puer circuncidendus, cuius (medicus illius artis) glandē retegat, et replicatā pellem sordiculis apprehendit: deinde quò metū adimat puero, ait se in proximis

## DE TVRCARVM

diem circuncisionem peracturum, atq; ita discedit: mox simulans, quasi omissum aliquid esset, quod ad preparationem attinet, ex improviso præpucium abscindit, vulneri parum salis, & mali cotonei apponens, iam uocabitur MVTSLVMAN, id est, circuncisus. Et die circuncisionis nõ induntur illis nomina, sed ipso die natali, quo in lucem eduntur, quæ talia sunt, & primo Regum, ut TSVLEIMAN, Solomon interpretatus. TSVLTAN, TSCCELIM, id est, princeps pacis. MVRATH BEGH, id est, desideratus dominator. MVTSTAFÄ & similia. Ducum, PIRIN, HAIRADVN, HADER, EBRAIM. Minorum humilioris conditionis, quemadmodum sunt TSPAHALAR, TSAVSLAR, EM-INLER, BEHRAM, MEMMI, MEHEMMET, AL-LI, AHMAT TCIELEBI, PAIAZITH, CHA-TSVN, HVTSCREF. Ceteris omnibus, MVTSA, IONVZ, TSCHENDER, PERHAT, FERRO. Captiuorum ac seruorũ maiori ex parte SEREMETH, quod nomen significat audacem, atq; uelocem. Postea continuato trium dierum conuiuio, circuncisus ducitur in balneum, cum maxima pompa. Cum redit domum, ducitur per conuiuas, qui parata illi munera offerunt: Alij uestes sericeas, alij ciphos argenteos, alij pecunias, uel etiam equos. Mulieres quoq; indusia, sudariola, & alia huiuscemodi. Iuxta uoluntatem & opes unusquisq; conuiuiarum donat. Fæminæ non patiuntur circuncisionem, sed tantummodo (iam dicta uerba) consistentes,



MVSLVMAN efficiuntur. Si autem ex Christianis quispiam sua sponte confesso Mchemmeto circumcidi se patiatur, quod sepe contingit, propter grauißimum iugum, & onus tributi, talis ducitur per omnes uicos atq; plateas ciuitatis, summo cum honore, & gaudio populi sonantium tympana: ipsi quoq; dantur munuscula, postea immunis efficitur à solutione tributi, HARACS eorum lingua appellati: Et cupiditate huius lucri, multi Græci, quos VRVMLAR, & Albani, quos ARNAVTLAR uocant, circumciduntur. Si quis uel compulsus, ut puta qui Musلمانum feriret, uel uituperio afficeret, aut Mchemmetum blasphemaret (quod uidi Episcopo cuidam Græcorum sectæ, contigisse) circumciditur, illi nihil datur: à tributi tamen solutione liber erit, sicut & cæteri MVSLVMANLAR, id est, Circumcisi.

#### DE SACERDOTIBVS eorum.

Sacerdotes uero, illorum lingua TALISMANLAR uocat: parum uel nihil differunt à laicis, nec etiam à Proceribus caeremoniarum (quales apud nos sunt Episcopi) nec magna in ipsis doctrina requiritur, satis erit si Elcoranum, & Mussaphum nouerint legere. Illi autem qui etiam interpretari secundum textum nouerint, peritissimi habentur: quoniam non uulgari lingua Turcica, sed Arabica à Mchemmeto sunt tradita, quòd nephas esse putant, si uulgari lingua interpretata describerentur. Eliguntur isti Pontifices à populo, stipendium au-

## DE TVRCARVM

tem à Rege pro labore accipiunt: Vxores habent, & habitum ut seculares. Si stipendium non sufficiet propter multitudinem liberorum, mechanica tractant, ac libero etiam homine digna attingunt: præficiuntur scholis, aut libros describunt. Apud illos sane nullos uidi typographos, sed chartam optime parant. Alij alium quæstum faciunt, ut sartoris, sutoris, & similia.

## DE SCHOLIS

ipsorum.

**H**abent quoq; loca ad instituendum OCHVMA-CHGIRLERI eorum lingua appellata, & suos Doctores quos HOGSIALAR uocant, tam masculos, quam foeminas, separatim tamen instituunt: masculi masculos, & foemine foeminas, Astronomiam, Philosophiã, Artem poëticam. Inter discendum clara uoce clamantes ad latus corpora mouent. Musicam non norunt artificialem, sed fingunt carmina ad præscriptas regulas, quæ ita se habent: Quodlibet carmen undecim debet complecti syllabis. Placuit itaq; exempli gratia hæc pauca inserere.

## CARMINA AB IPSIS

BETHLER dicta.

Birichen bes on eiledum derdumi

Iaradandan istemiscem iardumi

Terch eiledum Zahmanumi gurdumi

Ne ileim icniemezumi gunglumi.

Sunt enim carmina amatoria, Deæ ipsorum lingua  
ASSICH uocata, id est, Deæ amoris, quorum interpre-  
tatio hæc est de uerbo ad uerbum.

Birechen, id est, ex una. bes, id est, quinq; on, id est,  
decem. eiledum, id est, feci. derdumi, id est, tribulatione  
mea,

Iaradandan, id est, à creatore. istemiscem, id est, po-  
stulauit. iardumi, id est, auxilium.

Terch eiledum, id est, neglexi. zahmanumi, id est, pa-  
trie meæ. gurdumi, id est, uisitationem.

Ne, id est, Quid. ileim, id est, faciam. leniemexum,  
id est, non possum uincere. gunglumi, id est, mentem  
meam.

## DE MONACHIS

## illorum.

**N**on desint illis Monachi DERVISLAR uocati,  
uarij quidem ac in primis triplicis ordinationis.  
Primus ordo talis est, qui nihil proprij habentes, quasi nu-  
di incedunt, præter pudenda pellibus ouinis tecta, & tem-  
pore frigoris ad cooperiendū dorsum similiter pelle, la-  
tus, manus, pedes, et caput nullo prorsus tegunt uestimen-  
to. Exigentes eleemosynam tam à Christianis quam à  
Turcis ALLAHITSI petentes, quod significat, propter  
Deam. Hi deuorata herba MATSLACH uocata, in ra-  
biam aguntur, adeo ut per pectus totum in transuersum  
uulnus ducant, itidem per brachiū uel nullo dolore disti-  
mulato, & fungū arborū incensum capiti, pectori, manui

suppositū remouent, donec in cineres resoluatur. Aliud genus iudi, qui incedunt pertusa uerpa, & incluso amulo æreo ponderis trium librarum, à coitu disculsi, obseruandam castitatem. Tertium genus raro egreditur, sed manent die noctuq; in templis, habentes in angulis templorum tuguriola, sine calciamentis, uestimento, disco operto capite, nihil gestantes, præter unam camisiam, multis diebus ieiuni, orantes, ut Deus ipsis futura reuellet, quos rex Turcarum bellum moturus consulere solet.

### DE MATRIMONII CONTRACTIONE.

**M**atrimonium eorum lingua EVLENMECH uocatum, tale est. Coeunt nuptiæ sine iuramento, accipiunt plane indotatas, propemodum emere coguntur, contrario (quàm olim apud Romanos) more, ubi gener emi solebat, nō nurus. Nil habet sponsa in corpore cultus uel ornamenti, quod non cogatur à soceris redimere. Diuortium apud illos faciunt improbi mores, uel infœcunditas: cognoscit de istis rebus iudex ipsorum. Inter seruos emptos etiam matrimonium permittunt, sed geniti ex illis uernæ fiunt.

### DE PEREGRINATIONE ILLORUM.

**P**eregrini, eorum lingua HAGSILAR appellati, loca ab ipsis sancta habita inuisunt, uidelicet MECHAM, ut nostri Hierosolymam, ibi aiunt Mehemmetum obiisse: sed non minus questus gratia quàm reli-



gionis & deuotionis. Ibi uiso calciamento TSAROCH uocato, quod inauratum solummodo à testudine templi pendet, coemptis subtilissimis telis, CHVMAS dictis, in patriam regrediuntur magno cum lucro. Et cum redierint, alij uectant deuotionis gratia aquam in utribus plaeatim, idq; obuijs sitientibus gratis offerunt, alij rem suam agunt.

DE ELEEMOSYNA  
eorum.

**H**Abent xenodochia IMARET appellata, ex testamento Regū condita, ubi datur cibus pauperibus atq; peregrinis, sed alibi alius: Sunt qui dant orizum PIRINCTS TSORBA dictum, cum carnibus: alibi BOGHDAIAS, qui fit ex tritico, pro obsonio additur panis satis magnus, potus quem praebent est aqua. Caeterum pernoctandi ibi aut dormiendi locus nulli conceditur, sed habent alium locum pernoctandi publicum CHARVATSANRIE, ubi gratis recipiuntur hospitio: non habent tamen lectos, sed in saeno uel stramine sub tecto dormiunt:

DE VICTIMIS  
eorum.

**I**Mmolant etiam uictimas, sed plerūq; uotiuas CHORBAN tam Turcica quam Arabica linguis uocatas, in morbo enim aut periculo ouem uel bouem pro cuiusq; opulentia in certis locis se sacrificaturos promittunt, uoti deinde uictima non comburitur in holocaustum, ut in

## DE TURCARVM

deis mos est, sed mactato animali, cutis, caput, pedes, & quarta pars carnis sacerdoti præbetur, altera deinde pars datur pauperibus, tertia vicinis. Cæteras reliquias ipsi uictimatores sibi, & comitibus parant ad uescendum, neq; tenentur uoto, si è morbo uel periculo erepti non fuerint. Omnia enim illorum conditionalia sunt, dabo si dederis. Similis etiam apud Græcos & Armenios, et cæteras nationes Asiaticas Christianæ religionis, cultus obseruatur.

DE LEGATIS ET  
Testamentis.

**S**I quis ex Muslimanis moriens testamentum condere constituit, talia serme legata sunt, adhibitis amicis & vicinis, ut aut riuos deducere ex longinquis partibus ante aliquod hospitale, aut templum, siue in locum aridum, qui frequentatur ab hominibus HAIRITSI, id est, pietatis gratia, & GSIANITSI, id est, pro anima. Alij captiuos, & emptitios seruos legant liberos faciendos. Muliercule enim (ut hoc genus præ cæteris supersticiosum est) legant pecuniam militibus, pro certa cæde Christianorum, id putant magnò ad salutem suæ ipsarum anime prodesse. Reges uero tampla, hospitalia, extruenda constituunt, & alij si qui sunt potentes.

DE CAEREMONIA DE-  
functorum.

**V**BI quis moritur ex MUSLVMANLARIS masculus, tunc masculi funus curant; si femina, socer

mine. Abluunt cadauer, ac nitidissimis lineis induunt, postea offerunt extra urbem in locum aliquem: nephas enim est in templis sepelire. Procedunt cæroforarij cum candelis Monachi illorum, subsequuntur sacerdotes cantillantes interim, donec ad sepulturæ locum perueniant. Quòd si pauper fuerit ille defunctus, pro laboribus religiosorum plateatim collectæ pecuniæ solent illis offerri.

DE AEDIFICIO SEPVLCRI  
TVLBE dicto.

**C**onditorio superædificatur (utputa regio) templum, ipsi enim Reges in urbes sepeliuntur: Diuitum & pauperum instar altaris in eam altitudinem, ut bestię insultare, aut locum conspurcare non queant. Sæpius eò cum luctu redeunt, & inferias ciborum monumento superposito, panes, carnes, caseum, oua, lac, nouendialis cœna, more Ethnicorum, pro anima defuncti deuoratur à pauperibus, aut auibus cœli, & formicis. Dicunt enim æque gratū esse Deo, offerri eleemosynam tam brutis egentibus quàm hominibus, cum ob amorem Dei offertur. Multos uidi, qui auiculas reclusas, data pecunia ualoris auicolæ, euolare iusserint, alios panem piscibus in flumen proijcere amore Dei, dicentes se pro tali pietate erga egentes mercedem amplissimam à Deo consecutauros.

DE TURCARVM  
DE MILITIA

Cap. II.

**H**abent omnes in Regem qui illorum uocabulo  
HVNCHER OTHMANLARDAN SAHI  
TSVLTAN TSVLEIMAN, modernus ita appellatur  
ab eis, id est, Imperator ex Othmannis Sahi Princeps  
Solomon, qui nunc habet filium primogenitum, uiginti  
(uel circiter) trium annorum MVTSTAFa uocatum,  
excellens suos antecessores tyrannide, atq; crudelitate,  
sepe insidiantem patri, ut si quomodo posset illum occi-  
dere, ob libidinem dominij. Habet Rex sub se duos duces  
siue Satrapas TSAMGIACH BEGLER uocatos,  
Europeum & Asiaticum, quibus subsunt presides minores  
TIMARGILAR dicti, quorum imperijs parent  
milites ordinarij, qui si cessant dum ad expeditionem euo-  
cantur, suspendio poenas luunt. BASSALAR qui inter-  
pretantur capita, plures sunt: ij propter consilium semper  
per Regem comitantur, SVLIHTARLAR quoq; qui  
sunt stipatores corporis illius, semper post tergum eius  
succedere solent, una cum CAPVGTSIBEGLER, id  
est, cubicularijs, IAZIGTSIBEGLER, id est, cancellarijs,  
EMINLER, id est, tributis exactoribus, uidelicet  
puerorum, & pecuniarum, TSPAHALAR, id est,  
leuis armaturae militibus equestribus, multis VLACH-  
LARIS, id est, nuncijs: & alijs huiusmodi continue au-  
lam sequentibus.



23

MORIBVS,  
DE CONDITIONE  
Procerum.

**N**vllus ex Satrapis possidet prouinciam aut ciuitatem aliquam iure hereditario, quam post obitum liberis uel suis successoribus possit relinquere sine consensu sui regis. Sed si aliquis Ducum, uel Principum certas possessiones cupit habere, id illi conceditur hac conditione: Initur ratio precij, & redditum illarum possessionum. Cognoscit & Turca, quot milites ali annuo illo censu possint, tunc T S A T R A P A ille cogitur habere illum numerum militum semper promptum, ad omnia imperata, alioqui capite plectitur: Nihilq; eum à belli comitatu potest excusare, quàm sola aduersa ualetudo. Et si quando Turca placuerit cum priuare tali beneficio, in eius est libertate, si autem non deponitur, suum est usq; ad mortem. Post obitum, quod si successores defuncti pactum obseruare uoluerint, admittuntur: sin secus, alijs prouidetur. Si aliquando aliquis istorum procerum cum rege loquitur, oculos humi defigit, non audens illius uultum contueri.

DE CONDITIONE  
Chazilariorum.

**M**ilites CHAZILAR uocati, strennui, & iure militari miro modo exercitati, qui in primo congressu lanceas frangunt cum aduersarijs suis, nulla prorsus armatura, præterquam clypeo, hasta, framea utentes more nostratum, ut puta lorice, galeæ, sed fractis hastis,

## DE TVRCARVM

*eusginata framea, clypeo se defendentes, uiriliter pugnant, semper capiti, manui aduersariorum insidiantes, aduersarios totis uiribus extinguere nitentes. Punctura autem gladij, hostem, uel equum ferire, non laudi, sed ignominie duceretur. Hi omnem uitam, et salutem in protectione Fortunæ Deæ, ipsorum lingua NASSVP, siue CTSVTARA dicta, habentes, cuius apud omnes pro uerbium istud celebratissimum est: IAZILANGE LVR BASSINA, quod ita potest interpretari lingua Latina, IASILAN, id est, scriptura: GELVR, id est, ueniet: BASSINA, id est, capiti, quasi dicerent, quicquid die natiuitatis uniuscuiusvis Fortuna Dea capiti inscripsit, id euitare impossibile erit, etiam si latitaueris in arce inexpugnabili. Horum enim gesta carmine in historijs descripta, ab omnibus recitantur, ut & ceteri eadem audacia (honoris & laudis studio exciti) fortiter, & intrepide hostem aggrediantur. Ceterum pro qualibet uictoria talium, stipendia duplicantur, ita quod omnes prædicti equestres debent regem sequi, instructi his armis, lancea, framea, sagittis, claua ferrea: alij habent clypeos, alij non, & semper accipiunt stipendium, tam tempore pacis, quam belli.*

## DE ORDINE PEDITUM.

**P**rimus ordo peditum est SOLACHLARVM, id est, sagittariorum, tales utuntur arcu, sagittis frameis, differunt pilcis à LANITSERIS. Secundus ordo

est IENITSERORVM, illi etiam habent arma similia TSOLACHLARVM, pro arcu tamen & sagittis arcubuso utuntur, & una securi. Tales omnes collecti à Christianis ibi degentibus sub tributo, ui arrepti circumcisi, in loco TSARAI dicto, educati, contra Christianos pugnant strennuissime, & habent satis exigua stipendia uictui: uidelicet aliis quatuor, alius quinque uel sex numeros AHTSE uocatos, qui sexaginta Coronatum faciunt: & hi sub poena uitæ non possunt equitare, nisi egrotent. Reperiuntur etiam ex filiis Turcarum facti IENITSERI quamplurimi. Tertius ordo peditum AZAPLARVM est, quorum finito bello finitur & stipendium: & sunt omnes filij Turcarum. Tales utuntur longiori hasta, framea, pilcos habent rubros, uel alterius coloris ex panno, cum quatuor angulis corniculatis, TACHIA dictis, & differunt à IENICERIS & SOLACHLARIS uestitu atque armatura: tales perfodiunt hostium equos in bello. Deinde aliud genus peditum ex VValahia sectæ Græcorum, VOINICHLAR uocati, hi nihil habent stipendij à turca, quam quòd immunes sunt à tributis solutione, & decimis: Tales tenentur ociosos equos Regis Turcarum proprijs sumptibus alendo, curamque illorum gerendo, ducere tempore belli.

DE TENTORIIS  
Regis Turcarum.

**C**um Constantinopolim relinquens Turcarū Rex  
 ad bellum proficiscitur, duo usurpans tentoria,  
 cognomento SATORLAR, cum hodie alterum pro co-  
 tenditur, alterum ad proximam mansionem figitur, ut  
 ibi postero die recipiatur. Magnitudo tabernaculi tanta  
 est, ut procul uisentibus urbs uideatur: in proximo ca-  
 strametantur Principes, & ambiunt Regis sui taberna-  
 culum: deinde Equites, qui uel singuli, uel terni tento-  
 rium habent: Etiam pedites habent propria tabernacu-  
 la, id enim ex disciplina habent, ne quis sub dio cubet.  
 Ituro exercitui stratores uiam faciunt, hinc inde collo-  
 cantes acruos lapidum, uel strues lignorum, ad indicium  
 uie, adeo ut ne in tenebris quidem facile erretur. Mo-  
 uent se media nocte, & usq; meridiem sequentis diei in  
 agmine sunt. Inter equitandum Rex in medio duorum  
 BASSALARVM cum illo colloquentes incedunt, quos  
 præcedunt aliquot IENITSERORVM ordinis milites,  
 in equis, ferentes candelas ardentes: & hoc fit tempore  
 noctis obscuro. Deinde TSAVSLAR, id est, Capitanei,  
 clauas habentes ferreas, undiq; cuspidatas, pellunt homi-  
 nes à conspectu Regis, ad iactum, uel cursum sagittæ, ibi  
 SVLIHTARLARVM, id est, stipatorum copia, inter  
 quos currus Cynedis pleni, in usum Turcæ, & Procerū.  
 Subsequuntur, & præcedunt iam dicti Duces cum maxi-  
 mo milite, equitum & peditum, & diuersæ conditionis  
 hominum, alij habentes stipendia, alij questus gratia &  
 lucri, masculi tantum, nullas secum ducentes mulieres.



MORIBVS.  
DE VICTURA ANI-  
malium.

**D**Einde sequitur multitudo Camelorum, mulorum, equorum (interdum solent & Elephantes eorum lingua PHIL dictos, deducere) portantes victualia, tentoria, & similia militi necessaria. Et ubi figitur tentorium Turcæ, ibi iam singula suo ordine tanquam in urbe parare debent. Ibi locus Sartorum, Pistorum, Macellatorum: illi parant epulas carniū omnium generum, qui si non potuerint habere carnes recentes, tunc exponunt ea quæ ab animalibus uehuntur, uidelicet, panes bis coctos, carnes siccas, PASTARMA dictas, caseum, lac coagulatum. Sunt enim patientissimi famis, sitis, frigoris. Raro hospitantur in urbibus, sed in agris sub tentorijs, circa feneta & riuos, maiorem gerentes curam animalium, quam sui ipsorum, paruo & satis uili cibo contenti, uidelicet, dicto lacte coagulato aqua temperato, & immisso pane, uel recenti, uel bis cocto, serui, pariterque domini. Ibi silentiū tempore noctis magnum, ut captiuos fugientes negligant, ne clamor excitetur, ob poenam iniunctam: sed cum uadunt cubitum, et cum surgunt abire, omnes alta uoce clamant hæc uerba, ter repetentes, ALLAH ALLAH ALLAHV, id est, O Deus,

DE IUSTITIA EXERCENDA in bello.

**T**anta seueritas disciplinæ fit in bello, ut nemo militum ausit aliquid iniuste rapere, alioquin sine

## DE TURCARVM

miseriordia puniretur: habentur enim inter eos ordinarij custodes, siue defensores earum rerum, que in uia occurrunt militi, ut pueros octo uel decem annorum portantes uenales panes, oua, fructus, aucenam, & similia. Tenentur quoq; defendere dicti præfecti hortos fructuum circa uiam sitos, ut nec ipsi audeant unum pomum, uel huiusmodi simile, sine licentia possidentis carpere, alioquin & tales capitis pœnam lucrent. Cum essem in exercitu Turcæ in expeditione contra Peysas, uidi TSPAHIAM unâ cum equo & ministro decollari, quòd solutus equus arua cuiusdam ingressus fuerat.

DE VESTO CELEBRANDO ob uictoriam  
Turcæ.

**C**um renunciatum fuerit de uictoria, in omnem lætitiâ sese effundunt ciuitates. Noctu autem sub primam facem, auspiciantur triumphalem istam festiuitatem, funalia, cereæ tedæ, faces, ubiq; disponuntur, stragulis, aulæis, uestibus holosericis ædes uelantur, & uia qua intraturus est Imperator Turcarum. Triumphum autem uerum reportat Constantinopolim, ubi continuè residet, si non agit bellum in aliquas regiones. Legibus tamen tenetur tribus annis elapsis ipsemet suscipere expeditionem in regiones Christianorum, pro amplificatione regni, uel defensione.

DE VENATIONE  
eorum.

**N**ulla natio sub sole tantum gaudet uenatione,  
 quantum Turcica. Penetrant enim insequendo  
 feras loca aspera & montuosa in equis, capientes diuersa  
 animalia, & si animal extinctum à canibus suffocatum  
 fuerit, illo non uescuntur neq; ipsi, sed nec Christiani in-  
 habitantes illas regiones. Et si occidunt suam syluestrem,  
 dant illum Christianis illarum regionum, quia muslim-  
 manis prohibitum est uesci procorum carnibus.

## DE OPERARIIS & Agricolis. Cap. iII.

**O**PPIDANI per seruos eorum agros colunt,  
 decimam dependunt suo Imperatori. Opifices  
 uero artibus mechanicis se sustinent. Qui ocium colunt,  
 fame contabescunt. Mercaturam quoq; strennue exer-  
 cent. Asiam minorem, quam nunc Natoliam uocant,  
 Arabiam, Aegyptum peragrant, ad Venetos sese dese-  
 runt. Balnea in singulis ciuitatibus habent, ubi solenni  
 more, bis, uel ter se lauant. Si reddant urinam, mutonem  
 lauant. Si uentrem soluunt, podicem abluunt: idem fit  
 à mulieribus, quos sequuntur serui, uas aqua plenum ge-  
 stantes: masculum masculus, & foeminam ancilla. Et cum  
 exeunt lauatam, mulieres unguunt se quodam genere un-  
 guenti, quod post mediam horam pilos cadere facit:  
 uiri ipsimet radunt mutones, nec quouis modo sinunt

## DE TVRCARVM

erescere pilos, sed singulis mensibus bis uel ter ita faciunt, tam masculi quam foeminae: & maxime cum templa frequentant, alioquin ignibus (ut uiolatores sacri loci) traderentur. Habent etiam diuersos artifices, ut sartores, sutores, auri, argenti, & omnis generis metalli fabros, similiter carpentarios, pictores, lapicidas, sed non tam subtilis & praestantis ingenij, ut in istis partibus nostris.

DE IUSTITIA APVD  
ciues.

**I**udicem omnes habent eundem, tam Christiani, quam Turcae: ex MUSLVMANIS tamen unum electum, qui ex aequo omnibus ius ministrare tenetur. Si quis occidit, ipse quoque mortem subire debet. Si quis furatur, aut uiolenter rapiat, suspenditur: Vt contigit IENITZERO cuidam, qui muliercule cuiusdam portantis in forum uenale lac ebiberat, non soluendo precium, cum accusatus coram iudice negaret factum, pedibus sursum suspensus, chordaque per medium ligatus, lac statim euomit, atque ilico iudicio strangulatus. Hoc me praesente in Damasco contigit, cum ex Armenia Hierosolymam proficiscerer. Si aliquis adulterium commiserit, masculus in carcerem coniectus, post aliquot menses pecunia redimitur: & mulier uidelicet adulterata, super asinam uicatim & plateatim ducitur, flagris caeditur denudata, & lapidatur uiscera bouis in collo gestando.

## DE AGRICVLTURA.



**T**Am Christiani, quàm MUSLVMANI, agros, vineas, & pascua colunt, habentes frumentum simile nostrarū regionum, tritici, milei, ordei, auenae, siliginis, fabarum, & omnium generum legumina: insuper oryza in abundantia, lini, mali cotonci, plus quàm hae regiones: Vineta quoq; utraq; gens possidet, fructu eius uarie utentes. Christiani uinum conficiunt, & Turcae mel eorum lingua PECHMEZ uocatum, uuas passas quasdam ita medicantur, ut semper & uisu, & gustu recentes appareant, has VZVM TVRSSI uocant. De fructibus in magna copia habent. Ibi peponum, melonum, cucumerum, suo tempore horti & agri repleti. Ibi nuces, poma, pyra, poma granata, nuces, castaneae, ficus, cerasa, poma narranca, & alia id genus uili pretio, sed non in omni regno. Sunt etiam loca ut passim in Capadocia & Armenia minori, ubi nihil horum (propter ualidum frigus) possunt habere.

DE DIVERSITATE  
animalium.

**H**abent opiliones TSOBANLAR appellatos, hi semper in solitudine degunt, & ad pabulum singulis ferè mensibus sedes mutant, nullas prorsus domos, uel possessiones praeter tentoria, et greges armentorum possidentes, sed pascunt camelos, mulos, equos, boues, oues, & hœdos: conficiunt caseum, butyrum: tondunt lanam, inde faciunt penulas CHEPENECH appellatas, tapetia: ea uendunt, & inde emunt frumentū, ad uictum

## DE TURCARVM

sue familie. Omnes prædicti dependunt decimas Regi Turcarũ, de omnibus quolibet anno creatis animalibus. Insuper Christiani sub tributo uiuentes, coguntur dare tributum, uidelicet, de quolibet masculo unum coronatum, & quod est crudelissimũ, etiam filios omnes uxores non habentes, ui abripiunt, singulis quinq; annis perustrantes domos eorum.

## DE AEDIFICIIS

## domorum.

**I**N ædibus non multa magnificentia, plerq; latericio opere constant, duplici ex materia, sunt enim lateres, alij fornacibus, alij sole excocti. Tecta cuneatim coeunt, quemadmodum hic, & hoc in tota Europa, sed in Natolio tecta plana sunt in modum tabulati, sine ullo fastigio, sciphones, & canales aque pluuiam demittunt, quæ ad illos per Cylindriam deuoluitur.

## DE VESTIMENTIS

## eorum.

**C**ultus illis ex materia lane, lini, & serici, satis magnificus, ueste CHATTAN uocata, utuntur, stricta, laciniosa, et usq; ad talos prolixa, brachias nostras detestantur, ut nimium pudenda exprimentes. Indusia GHVMLECH dicta, sudariola violaceo colore tingunt, caput illis aggestu pepli in turrim ædificatur, et in pyramidem turbinatur, & talis pileus TVLBENT siue CSALMA eorum lingua uocatur. Mulieres diuitum uelata facie incedunt, nunquam alienis uiris uultũ aper-

riunt, nunquam forum frequentant. Calciamenta BA= BVCS uel CSISME. dicta, tam uirorum quam mulierū, in solo suppectum habent, ut diutius illis uti possent.

DE CIBARIIS  
illorum.

**V**Tuntur & ipsi quoq; non pessimo pane ECH= MECH dicto, nigro & albo, quemadmodum & nostrates, sed illi spargunt quoddam genus seminis SVS= SAM uocata, super recentem, postea coquitur, quod tribuit magnam suauitatem manducantibus, quo nusquam utuntur nostri, præter in Hispania passim in quibusdam locis, uidelicet in regno Granaten. & circa Ciuiliam. In edulij illis multiplex ars, & uaria conditura: cibus uero maxime solennis est, puls ex oryza, ita addensata, ut partes inde manibus decerpantur. Piscium mira abstinentia. Carnibus omnibus utuntur, præter porcinis. Nullæ ibi tabernæ hospitij designatæ, aut publica diuersoria, quæ admodum apud nostrates, tamen in plateis diuersa uenduntur cibaria, & alia huiusmodi ad uictum necessaria.

DE POTV ILLORVM.

**T**Riplex illis potus: Primus ex sacaro, ab illis SEC= HER uocato, aut melle diluto aqua, TSERBTH appellatur is potus. Secundus ex uuis passis detractis radicinis in aqua decoctis, additur deinde aqua rosacea, et aliquantulum ueri mellis, & hic potus HOSSAPH uocatur, et uenditur ubiq; locorū in Turcia, est. n. dulcis & inflat uentrē. Terti<sup>9</sup> fit ex illo defruto PECHMEZ appellato

quod ex musto factum, speciem mellis præ se fert gustu & visu, deluitur enim aqua, & datur seruis ad bibendum.

DE MODO SEDENDI ET  
comedendi.

**C**VM manducandum est, subiiciunt storeas HACTSER uocatas, deinde insternunt tapetia, aut puluina. Alij in nuda humo discumbunt, mensa illorum TSOPHRA dicta, ex corio fit, & explicatur, & contrahitur, ut marsupium. Non assident nostrorum more, nec discumbunt ueterum ritu, ut cubito imitantur, sed decussatim pedibus inter se complicatis more sartorium, antequam cibum sumant oratio præmittitur. Raptim comedunt, & magno silentio, interim omnes uxores in abdito tenent: serui uero post duodecimum annum, non permittuntur domum (ubi mulieres sunt) ingredi, sed infra duodecimum annu pueri ingredientes, et egredientes deserunt maioribus necessariis, qui in alia domo segregati procul habitant. Captiue uero non habent licentiam egrediendi foras, nisi cum mulieribus Turcarum cum uadunt in balnea lauatum, uel alio extra urbem recreationis causa in hortos & uineas (quod sæpe facere solent) sed semper in domibus latitantes operantur, nec permittitur illis cum captiuis seruis conuersari. Dij boni, quis posset explicare aut describere afflictiones & calamitates captiuorum, & sub tributo Turcarum habitantium Christianorum; aut quis posset enarrare credelita-



MORIBVS.

tem, et turpissimos abusus, tam in rebus secularib. quam  
fidei Mehemmeticæ ceremonijs, prout legentes intel-  
lexistis de lotionè et munditijs eorum, in qua sola speran-  
tes salutem suæ ipsorum animæ existimant se consequutu-  
ros, cum intus repleti omni spurcitijs scelerum, Mehem-  
meto cæco duce, Deum irritant immortalem. Multa  
alia ex institutione Mehemmeti debent strictissime ob-  
seruare, quæ studiosè omittenda duxi, ne minu-  
tissima quæque persequens, garrulitate  
stomachum lectori moueam.

Nunc autem ad se-  
quentia per-  
gamus.

D 9

TVRC. DI-  
DE VOCABVLIS, SALV-  
tationibus & Responſionibus  
ac Numero eorum.

Cap. III.

PRIMO NOMINA  
cœleſtia.

<b>A</b> LLAH,	Deus.	Dolu,	grando.
Ferifte,	angelus.	Yaz,	æſtas.
Pegamber,	ſanctus.	Itſigſiak,	calidum.
Irretſul,	propheta.	Tſabah,	mane,
Gugh,	cœlum.	Dil,	meridies.
Vtſmach,	paradiſus.	Akſam,	ſerum.
Gunes,	ſol.	Gegſe,	nox.
Ay,	luna.	Karanſch,	tenebræ.
Iulduz,	ſtella.	Aidanlik,	luna lux.
		Oth,	ignis.
<b>NOMINA</b>		Mum,	candela.

temporum.

<b>Gil,</b>	annus.	<b>NOMINA</b>	
<b>Ay,</b>	menſis.	terreſtria.	
<b>Hauta,</b>	hebdomada.	Dunye,	mundus.
<b>Gun,</b>	dies.	Toprak,	terra.
<b>Kes,</b>	hyems.	Denyuz,	mare.
<b>Tſoch,</b>	frigus.	Sfuy,	aqua.
<b>Kar,</b>	nix.	Balok,	pifcis.
<b>Buz,</b>	glacies.	Engets,	cancer.
<b>Iagmur,</b>	pluvia.	Yelan,	ſerpens.

ETIONES.

Dagh,	mons.	Kul,	seruus.
Tas,	lapis.	Halaisk,	ancilla.
Alron,	aurum.	Argath,	mercenarius.
Gumis,	argentum.	Irentsper,	operarius.
Bacher,	es.	Gfan,	anima.
On,	plumbum.	Achli,	memoria.
Iuzuk,	anulus.	Gungli,	mens.
Demir,	ferrum.	Fichir,	cogitatio.
Athse,	nummus.	Iuregh,	cor.
Pul,	asis.	Bas,	caput.

NOMINA

hominum & ad  
homines per-  
tinentia.

Adam,	homo.	Kulagh,	nasus.
Aurath,	mulier.	Sakal,	auris.
Baba,	pater.	Eli,	barba.
Ana,	mater.	Parmach,	manus.
Oglu,	filius.	Dernak,	digitus.
Kez,	filia.	Aiag,	unguis.
Kardas,	frater.	Arca,	pes.
Erkech,	masculus.	Hafs,	dorsus.
Difi,	foemina.	Beg,	uenter.
Ioldas,	comes.	Tfelebi,	dominus.
Ygit,	persona.	Deuulet,	nobilis.
Ghents,	iuuenis.	Charip,	locuples.
Kogfa,	senex.	Facher,	pauper.
			inops.

## TVRC. DI-

Sehri,	urbanus.	Tsusfeger,	aquatilis bos
Tsifcsi,	agricola.	id est,	bubalus.
Chuuli,	uillanus.	Tseger,	nacca.
Chur,	cæcus.	Vkuz,	bos.
Agtsak,	claudus.	Choin,	ouis.
Pek,	fortis.	Kuzu,	agnus.
Ei,	bonus.	Getfi,	capra.
Tfag,	sanus.	Domuz,	porcus.
Guzel,	pulcher.	Geik,	ceruus.
Ak,	albus.	Taufan,	lepus.
Kuozl,	rubeus.	Kurt,	lupus.
Iessil,	uiridus.	Kupek,	canis.
Hatsta,	egrotus.	Tilki,	uulpes.
Chara,	niger.	Kedi,	catus.
Iaramaz,	maltus.	Tsicfan,	mus.
Deli,	stultus.	Charangfia,	formica.
Zian,	dammum.	Bit,	uermis.
Feide,	lucrum.	Kuff,	avis.
		Tauk,	gallina.
		Guergfin,	columba.

## NOMINA

animalium di-  
uerforum.

Gfianauar,	animal.
Phil,	elephas.
Deue,	camelus.
Chater,	mulus.
At,	equus.
Essek,	afinus.

## NOMINA

arborum &  
fructuū.

Agats,	arbor.
Odun,	lignum.
Deghenegh,	baculus.
Alma agats,	i. pomus.



CTIONES.

Simlliter & cetera no-	Tfoha,	pannus.
mina fructuum, si pra-	Geitsi,	uestimentum.
ponas huic nomini A-	Chautā,	tunica.
gats, quod arborem si-	Chepeneg,	palleum.
gnificat, tunc significa-	Gumlek,	indusium.
bunt arbores fructuum,	Tulbent, Tsalma,	
si demas nomē agats,	diademata ex tela.	
significabunt fructum.	Takia,	biretum.
Armut,	pyrum.	Zarchula,
Koz,	nux.	rum, pileus.
Ingfir,	ficus.	Chussak,
Zeit,	oliua.	cingulus.
Iaprak,	folium.	Tsachssir,
Bagh,	uinea.	calige.
Vzum,	uua.	Testemel, sudariolum.
Pekmez, mel ex musto.		Bez,
Gimis,	fructus.	tela.
Serab,	uinum.	
Oth,	herba.	
Bogdai,	triticum.	
Arpa,	ordeum.	
Bacla,	fabæ.	
Tsamam,	stramina.	
Thuz,	puluis.	

BCU Cluj / Central University Library Cluj

NOMINA

Calciamen-  
torum.

Tsisme,	coturnices.
Babuts,	calciamenta.
Patismag,	sotularia.
Mest,	ocrea sine solo.
Tsarok,	est genus
	calciamenti inferius dum
	taxat habens partem cu
	tis grosse, desuper uero
	zons ad pedes ligatum.

NOMINA  
uestimen-  
torum.

<b>NOMINA</b>		Tfagarmak,	clavos.
Instrumentorum		Kiahah,	epistola.
ex ferro, & or-		Calam,	pena.
namentorū		Diuit,	atramentum.
equorū.		Iazi,	scriptura.
Chelets,	gladius.	Kitab,	liber.
Bitsag,	culter.	Ochumag,	doctrina.
Eier,	fella.	Namazkelmak,	ora-
Vyan,	frena.	Ekmech,	panis. (tio.
		Eth,	carnes.
<b>NOMINA</b>		Peiner,	caseus.
utensiliū et perti-		Tfut,	lac.
nentia ad usum		Iugurt,	coagulatum.
hominum.		Iumurta,	ouum.
Kassik,	coclear.	Iag,	pinguedo.
Tfulmek,	olla.	eodem nomine appellat	
Tfanak,	scutella.	butyrum, seuum. Oleum	
Ibrik,	poculum.	etiam dicunt Iag, sed	
Testu,	amphora.	preponendo nomen fru-	
Tsophra,	mensa.	ctus, uidelicet Zeit, id	
Ymek,	cibus.	est oliua.	
Itmek	potus.	Tforaba,	iufculum.
Oinamak,	ludus.	As,	ferculum.
Aglamach,	planctus.	Gemich,	os ossis.
Gulmech,	rifus.	Pilau,	fercula ex oryza.
Islemek,	operatio.	<b>NOMINA</b>	
Erlamak,	cantus.	ad locum per-	
Tfalmak,	sonus.	tinentia.	

CTIONES.

Memleket,	regnum.	Iol,	uila
Seher,	urbs.	Buk,	magnus.
Chu,	uilla.	Gutsuk,	paruus.
Atsar,	castellum.	Kalon,	crassus.
Euf,	domus.	Yzun,	procerus.

SALVTATIO TUR-  
carum, Persarum, & Ara-  
bum, hæc est.

Sellam aliech Tsultanum.  
Pax tibi. Princeps.

Sellam aliech Baba.  
Pax tibi Pater.

Sellam aliech Ana. Pax tibi Mater, &c. Et ita  
alios seriatim secundum dignitatem personæ salutare li-  
cet.

RESPONSIO EORVM.

Alechmi Sellam Rahmatuallah  
Et tibi quoq; pacem doneq; misericors Deus.

Berechyat tseudigum.  
& benedictionem amice mi.

DIALOGVS INTERROGATIO-  
num, & Responsonum Turcæ  
cum Christiano: Et primo  
Turca ad Christianum  
hoc modo:

Handa gidertsen bre Giaur?  
Quo nadis ô Christiane?

DIALOGVS.  
RESPONSIO

Christiani.

Stambola giderum Tsultanum.  
Constantinopolim uersus pergo Princeps.

TVR. Ne issum var bu memlekette?  
.i. Quid negocij habes in his regionibus?

CHR. Bezergenlik, ederum, Affendi,  
.i. Mercaturam exerceo Domine.

uel, Maflahaton, var, anadolda.  
.i. Mibi negocium est in Asia.

TVR. Ne habar tsizum girlerden?  
.i. Quid noui fertur in uestris partibus?

CHR. Hits neste bilmezom tfaa dimege.  
.i. Nescio quid noui scire cupis, ut dicam tibi.

TVR. Gioldassum varmi tsenumle?  
.i. Est ne tibi comes?

CHR. Ioch, Ialanuz gheldum.  
.i. Non, sed solus ueni.

TVR. Benumle gelurmitsun?  
.i. Mecum placet ne uenire?

CHR. Irachmider tsenum iataghom?  
.i. Est ne procul tuum hospitium?

TVR. Iachender bundan gustereim tfaa.  
.i. Prope est, hinc ostendam tibi.

CHR. gel ghusteriuere Allaha tseuertson  
Veni ostende, si Deum amas.

TVR. kalch iochari tur bonda.  
Erige te sursum, sta hic.



CHR. Hanghi daraftan der bilmezum  
*In qua parte est nescio.*

TVR. Tſagh eline bacha ghun doghut-  
*Ad dexteram respice ad orientem. (ſine*

CHR. Bir buch ew atſarghibi  
*Vna alta domus tanquam*  
 gurunur omider  
*castellum apparet, illud ne est?*

TVR. Gercſekſon oder, iaken deghilmi?  
*Verus est illud est, propè nonne est?*

## VALEDICTIO.

CHR. Allaha tſmarlahadoch tſeni  
*Deo commendo te,*  
 ben oraa gitmezom.

*ego illac non ibo.* (metſon  
 TVR. Bre neden korkartſon nitcie gel-  
*He quem times quare non uenis?*

CHR. Benum iolum oraa deghelder.  
*Meum iter illac non est. (ſon*

TVR. wargeth tſaglogla eier ghelmer-  
*I bonis aibus, si non uis uenire.*

CHR. Gegſien hair oltſon.  
*Nox fausta tibi sit.*

TVR. Aghbate hair oltſon.  
*Et tibi faelicior.*

Ben kurtuldom tſoch ſuccur Allaha.  
*Ego liberatus sum, summa laus Deo.*

AMEN,

B

**N**OLO te ignorare amice Lector, quòd in omnibus nominibus & uerbis Persarum linguæ, ubi lar aut ler terminationes legendo inueneris, scias pluralem esse numerum tertiæ personæ, formatum à tertiâ persona singularis numeri, addita lar uel ler, terminationibus. Et si tibi curæ fuerit ex singulari pluralem, uel ex plurali singularem formare, hæc obseruanda erit regula: Si nomen incipiat à uocali a, ut Adam, id est, homo, uel syllaba in a, ut Chalam, id est, penna, tunc addes lar, & erit pluralis. Exemplum de lar, ut Adam, id est, homo, si addas lar, erit pluralis, ut Adamlar, id est, homines. Chalam, id est, penna, chalamlar, id est, penne, & non chalamlar. Iazar, id est, scribit, Iazarlar, id est, scribunt, & ita de alijs. Si uerò ab e, uel i, uocalibus uel syllabis incipiat nomen aut uerbum, tunc ler. Exemplum de e, ut Echmech, id est, panis, si addas ler, erit pluralis hechmechler, id est, panes. Eder, id est, facite, ederler, id est, faciunt. Hanc regulam obseruabis. Est hæc Persarum lingua omnium linguarum mundi (meo iudicio) facilior, & qui illam nouerit, omnes regiones Persarum & Turcarum peragere poterit, negociando cum Persis, Turcis, Grecis, Armenijs, & aliarum conditionum Christianis illas regiones habitantibus.

# N V M I R V S

## E O R V M.

Bir,	unus.	Igermi alti,	uiginti sex.
Ichi,	duo.	Igermi iedi,	uigin. septem.
Vts,	tres.	Igermi tsechez,	uig. oct.
Dort,	quatuor.	Igermi dokuz,	uigin. no.
Bes,	quinque.	OTVZ,	triginta.
Alti,	sex.	Otuz bir,	triginta unus.
Iedi,	septem.	Otuz ichi,	triginta duo.
Tsekez,	octo.	Otuz vts,	triginta tres.
Dokuz,	nouem.	Otuz dorth,	trigin. quat.
ON,	decem.	Otuz bes,	trigin. quinq.
On bir,	undecim.	Otuz, alti,	triginta sex.
On ichi,	duodecim.	Otuz iedi,	triginta septē.
On vts,	tredecim.	Otuz tsekez,	trigin. oct.
On dorth,	quatuordecim.	Otuz dochuz,	trig. no.
On bes,	quindecim.	KERCH,	quadraginta.
On alti,	sexdecim.	Kerch bir,	quadrag. unus.
On iedi,	septemdecim.	Kerch ichi,	quadrag. duo.
On tsekez,	octodecim.	Kerch vts,	quadrag. tres.
On dochuz,	nouēdecim.	Kerch dorth,	quad. quat.
IGERMI,	uiginti.	Kerch bes,	quad. quinq.
Igermi bir,	uiginti unus.	Kerch alti,	quadragin. sex.
Igermi ichi,	uiginti duo.	Kerch iedi,	quad. septem.
Igermi vts,	uiginti tres.	Kerch tsekez,	quad. octo.
Igermi dort,	uiginti quat.	Kerch dokuz,	quad. no.
Igermi bes,	uigin. quinq.	ELLI,	quinquaginta.

## TVRC. NUMERVS.

Ellibir, quinquagin. unus.	Ietmis iedi, septua. septē.
Ellichi, quinquagin. duo.	Ietmis tsekez, septu. oct.
Ellivts, quinquagin. tres.	Ietmis dokuz, septu. no.
Ellidorth, quinqu. quat.	TSEKTSEN, octuaginta.
Ellibes, quinqu. quinq.	Tsektfen bir, octua. unus.
Ellialti, quinquagin. sex.	Tsektfen ichi, octu. duo.
Elliedi, quinqu. septem.	Tsektfen vts, octua. tres.
Ellitfeches, quinqu. oct.	Tsektfen dort, oct. quat.
Ellidochus, quinqu. no.	Tsektfen bes, octu. quin.
ALTMIS, sexaginta.	Tsektfen alti, octua. sex.
Altmis bir, sexagin. unus.	Tsektfen iedi, octu. septē.
Altmis ichi, sexagin. duo.	Tsektfen tsekez, oct. oc.
Altmis vts, sexagin. tres.	Tsektfen dokuz, oc. no.
Altmis dort, sexag. quat.	DOKTSAN, nonaginta.
Altmis bes, sexag. quinq.	Doktsan bir, nona. unus.
Altmis alti, sexagin. sex.	Doktsan ichi, nona. duo.
Altmis iedi, sexag. sept.	Doktsan vts, nonag. tres.
Altmis tsekez, sexa. oct.	Doktsan dort, nona. qua.
Altmis dokuz, sexa. no.	Doktsan bes, nona. quin.
IETMIS, septuaginta.	Doktsan alti, nona. sex.
Ietmis bir, septuag. unus.	Doktsan iedi, nona. sept.
Ietmis ichi, septuag. duo.	Doktsan tsekez, no. oct.
Ietmis vts, septuag. tres.	Doktsan dokuz, no. no.
Ietmis dort, septua. quat.	IVZ, centum.
Ietmis bes, septu. quinq.	BIN, mille.
Ietmis alti, septuag. sex.	



Ita de alijs, semper maiorem numerum præponendo  
 minori, uel minorem maiori, dicendo: Ichi iuz, id est,  
 ducenti, & ichi bin, duo millia, & iuz bin, id est, cen-  
 tum milia. Iuz ichi, id est, centum &  
 duo. Bin ichi. i. mille et  
 duo &c.

IDEM PEREGRI-  
 nus Opt. Lectori  
 S. P. D.

**H**ABES candidè lector, de cultu & moribus His-  
 mabelitarum, præterea & multa uocabula, salu-  
 tationes, responsiones, gratiarum actiones, ualedictio-  
 nes, unâ cum numero lingue Persarum (quam nostri  
 Turcicam appellant) magis cognitu necessaria. Nec te  
 quoque latebit lingua Persica Turcas uti, quamuis cor-  
 rupta, quod quidem perfectè intelligi potest, ex usu om-  
 nium colloquiorum. Nec certe operæpretium esse duxi,  
 latius enarrando, laicorum nimirum rusticam consuetu-  
 dinem & turpissimum cultum fidei, nostram chartam  
 contaminare. Sed ob hanc causam potissimum uisum est  
 nobis, hæc pauca, omisiss deterioribus (quæ non solum  
 scriptu aut lectu, sed etiam auditu essent turpia) expli-  
 care, ut his lectis, discernere (maximè si qui extitisse

sent eorum operum commendatores) quantum lux differat à tenebris, hoc est, quantum uera Christianorum religio, à nefandissima illa Barbarorum superstitione. Quare humanissime lector, meum conatum oro boni consulas, si quid ex hac (uera quidem, sed incomposita) mea factura uoluptatis aut iucunditatis hauries. Nam sanctè deicere possum, nudam ueritatem me sectatam esse, nullo Turcicarum rerum scriptore inspecto. Iudicium ueritatis committo peritis lingue & nationis, deinde illis, qui diligentius euoluerint, que de ritu & moribus huius gentis in lucem sunt edita.

BCU Cluj / Central University Library Cluj

IN VETERI VANGIONVM  
VORMATIA EXCVDE-  
BAT GREGORIUS  
COMIANDER,  
ANNO  

---

M. D. XLV.

BCU Cluj / Central University Library Cluj

11

278.3

12

H I E R O S O L Y M I T A N V S



G Y V R G I E V I T S

P E R R E G R I N V S

